

Zb.^x 47.

Inhalt:

1. Oertel J. Chr. Aera christianorum vulgaria
2. Bollermann J. J. Ueber das Erhaben u. Edliche.
3. Theobald M. Z. Wiederauferstehendes Geisch.
4. Boeckel E. G. A. Theophan. Homerocarum
5. Bollermann J. J. Poenulus, Plautus, ^(punische Stellen)
6. Jahresbericht, Werke der Kgl. Akad. d. W. ^{München} 1811.
7. Meyer W. Prodomus anatomiae murinum
8. Loder J. Chr. Observatio imperforationis vaginal.
9. Valentin M. J. De prudentia.
10. Schmidolius M. J. De ratione status.
11. " " De praenitiis.
12. Unglonskies M. A. De causa per emanationem.
13. Proske C. F. De purpura.
14. Bollermann J. J. Poenulus, Plautus, punische Stellen
15. Dreiglyz Chr. L. De fide historica aestimanda
16. Steinberger P. Entstehung der Kunstsch. Br. Blia
theol. i. Münster, 1784.
17. Fachmann au Kable, Sendschreiben über Zellen, über
Normalinstitut i. Königsberg.
18. Gerard J. G. De historia universali
19. Bollermann J. J. Poenulus, Plautus, punische Stellen
20. Boettiger C. A. Oratio is numeri directoris Gym-
nasii Altmariensis.
21. Gelhard J. A. Programm, Braunschweig 1798
22. Lorenz Biörn, Ursprung des Braunsteins.
23. Laxius, Christoph. De veteris et medici aevi
24. Truck F. W. C. De Fauno Norve
25. Körsten D. J. F. E. De fide historica
no. tribuanda.



1
B. C. D.
ÆRA CHRISTIANORUM
VULGARIS
BREVI COMMENTATIONE
EXPOSITA.


QUAM
PRÆSIDE
JOHANNE MICHAËLE
LORENZIO

ELOQUENT. ET POËSEOS PROF. P. ORD. HIST. EXTRAORD.
CAPITULI THOMANI CANONICO

AD D. XXV. SEPTEMBR. MDCCLXVI.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMIN
SUBJICIT

AUCTOR
JOHANNES CHRISTIANUS OERTEL
ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis-Typographi.

R. C. D.

ERA CHRISTIANORUM

VULGARIS

REVI COMMENTATIONE

EXPOSITA

IOHANNES CHRISTIANUS

PEREGRINUS

IOHANNES CHRISTIANUS



IOHANNES CHRISTIANUS

IOHANNES CHRISTIANUS

IOHANNES CHRISTIANUS

A U T O R

IOHANNES CHRISTIANUS

IOHANNES CHRISTIANUS

IOHANNES CHRISTIANUS

IOHANNES CHRISTIANUS



ILLUSTRI
BENEFICII
HELLERIANI
D^NN. DISPENSATORUM
COLLEGIO,
VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMIS,

DE RE PUBLICA ET LITERARIA
MERITISSIMIS,

PIA INTER VOTA
PRIMITIAS STUDIORUM SUORUM

GRATA MENTE

DICAT

JOHANNES CHRISTIANUS OERTEL



Conspectus Dissertationis.

Sistitur

ÆRA CHRISTI NATI

I. *Vera*, A. M. 4000. Urbis Romæ
conditæ 752. §. I.

II. *Vulgaris*,

- 1) Auctore *Dionysio Exiguo*. A. M. 4001. U. C.
753. d. 25. Mart. §. II.
- 2) Interprete *Beda Venerabili*, a quo
 - (1) fixa, nova ratione, ad A. U. C. 753. d. 25.
Decembris, §. III.
 - (2) propagata sic per Occidentem, §. IV.

Differentia Æræ Christi Veræ, Dionysii Exigui, Bedæ.

Coff.	A. V. C.	Anni Christi		Anni Cycli	
		<i>Veri.</i>	<i>Dionysii.</i>	<i>Bedæ.</i>	<i>Dionysii.</i>
<i>Augustus XIII.</i> & <i>Silvanus.</i>	752.	1.	0.	0.	1.
<i>Lentulus &</i> <i>Piso.</i>	753.	2.	1.	0.	2.
<i>C. Cæsar &</i> <i>L. Paulus.</i>	754.	3.	2.	1.	3.
	*		*	*	
<i>I. post Consul.</i> <i>Lampadii &</i> <i>Orestis.</i>	1284.	533.	532.	531.	1.
<i>I. post Consul.</i> <i>Lampadii &</i> <i>Orestis.</i>	1285.	534.	533.	532.	2.
<i>Iustinianus Cos.</i> <i>III. solus.</i>	1286.	535.	534.	533.	3.



ÆRA CHRISTIANORUM VULGARIS
figit Christi Natales ad A. Urbis Romæ conditæ
753. A. M. 4001. d. 25. Decembris.

§. I.

CHRISTI Salvatoris Veros Natales ad A. U. C.
752, quo Cæsar Augustus XIII. & Silvanus
Consules erant, Mundi 4000 a) referimus,
Auctore LUCÆ, qui Anno XV. Principatus
Tiberii Johannem Baptistam dicit verbum
Dei cœpisse prædicare, & tum Christum circiter annos
ætatis XXX. esse exorfum, *Evangel. Cap. III. v. 1.* Ἐν ἔτει
πεντακαιδέκῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος... ἦ. 23. αὐτὸς ἦν
ἰησοῦς ἰσὺς ἐν τῶν τετρακοντῶ ἀρχαίρου. Anno decimo quinto
Principatus Tiberii Cæsaris... ipse Jesus circiter *Annos*
ætatis triginta ordiebatur. Tiberius in Augusti prin-
cipatum successit, postquam diem ille suum obiisset A. U. C.
767. S. Pompejo & S. Apulejo Coss. die XIX. mensis Au-
gusti, TACITO *Annal. Libr. I. cap. 7.* SÜETONIO *August.*
c. 100. *Tiber. c. 24.* DIONE CASSIO *Libr. LVI. & LVII.*
A
testibus.

a) Annum Romæ conditæ 752. in Annum Mundi 4000. cadere clare
demonstratum est in *Tabulis temporum satorumque Orbis terræ, ab*
Orbe Condito usque ad Christum Natum, sive ab A. M. 1-4000.
A. C. 1761. editis & in Academia nostra publice defensis.

testibus. Annus ergo XV. Principatus Tiberii ab A. U. C. 781. d. 19. Augusti usque ad eundem diem A. U. C. 782. currebat, & eodem anno Christus circa initium non anni tricesimi, sed *annorum triginta* agebat; id est, vel in tricesimi ætatis anni fine, vel XXXI. exordio versabatur. Hinc si detrahis ab A. U. C. 782

annos 30 incidis in Christi Natalem, id est in Annum U. C. 752. Hunc ex Luca calculum suffragiis suis Antiqui Scriptores comprobant, EUSEBIUS, HIERONYMUS, EPIPHANIUS, OROSIUS, IDACIUS, EUSEBIUS quidem & HIERONYMUS in *Chronico edit. Pontiaci*, dum ad XLII. Principatus Augusti Annum, Natales Christi figunt, & Augusti Principatus primum annum ab eo, qui Julii Cæsaris cædem secutus est, id est, U C 711. Hirtio & Pansa Coss., repetunt; quod idem confirmat EUSEBIUS in *Historia Eccles. Libr. I. cap. 5.* cum Christi Natales Anno 28. post Antonii & Cleopatæ Regum Ægypti cædes contigisse dicit, qui A. U. C. 724. mense Augusto Cæsare Octaviano IV. & M Crasso Coss. perierunt; teste DIONE CASSIO *Lib. LI.* & MACROBIO in *Saturnaliibus Lib. I. cap. 12.* Ita quippe EUSEBIUS: ἢ ἂν ἐν τῷ δευτέρῳ καὶ τεταρταίῳ ἐτῷ τῆς Αὐγούστου βασιλείας, Αἰγύπτῳ δ' ἑκατέρῃ, καὶ τῆς τελευταίας Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰς ἣν ἕσταιν ἡ κατ' Αἰγύπτου τῶν Πτολεμαίων κατέληξε δυναστεία, ὅσδ' οὖν ἐτῶν καὶ εἰκοσίων, ἑσπόμενα ὁ Σωτήρ καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός - - ἐν Βηθλεὲμ γενήσεται τῆς Ἰουδαίας. *Annus jam agebatur secundus & quadragesimus imperii Augusti; a subacta autem Ægypto, & ab interitu Antonii & Cleopatæ, in qua Ptolemaeorum in Ægypto dominatio desit, octavus ac vicesimus; cum Servator & Dominus noster Jesus Christus - - in Bethelem Judææ natus est. & iterum in fine Libr. VII. cap. 32. cum initium cladis, quæ, Diocletiano imperante, Christianas afflixit Ecclesias, ædiumque sacrarum destructionem, eo tempore factam, ad A. Chr. 305. ponit, ἐν τέτοις*

τὴν τῶν διαδόχων περιγραφὰς ὑπόθεσιν ἀπὸ τῆς τῆ σωτῆρος ἡμῶν
 γενέσεως ἐπὶ τὴν τῆς προσηλυτικῆς καθάρσεως, εἰς ἔτη σωτέρευσαν
 πέντε καὶ τετρακόσια. *Episcoporum successionis historiam, quæ
 a nostri Servatoris ortu usque ad Ecclesiarum everfionem
 in quinque ac trecentos annos protenditur, hic terminamus,*
 quam ex LACTANTIO de moribus persecutorum Cap. XII.
 constat d. 23. Februar. Diocletiano VIII. Maximiano VIII.
 Coll. contigisse, sive, ut ipse scribit EUSEBIUS Lib. VIII.
Histor. Eccles. cap. 2 & initio Libri de martyribus Pala-
estina iisdem utrobique verbis, Anno Diocletiani XIX.
 ἐτὸ τῷτο ἦν ἐνεκαμυδέκατον τῆς Διοκλητιανῆς βασιλείας - - ἐν ᾧ,
 τῆς τῆ σωτῆρος πάθος ἐορτῆς εἰσελευμένης, ἡσπαστο πανταχόσε βασιλικὰ
 γράμματᾶ, τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἑδάφους φέρειν, τὰς δὲ γραφὰς
 ἀφανεῖς ποιεῖν ἡρώδου προστάτων. *Nonus decimus agebatur an-*
nus imperii Diocletiani, - - appropinquante die festo Do-
minice Passionis, proposita sunt ubique Imperialia edicta,
 quibus Ecclesia quidem ad solium usque dirui, Sacri vero
 Codices flammis absumi jubebantur. Hic ex falsis Confula-
 ribus est A. U. C. 1056. a quo, si completos annos 304.
 detrahis, adhuc in Anni U. C. 752. tanquam primi ætatis
 Christi, exordia delaberis; EUSEBIUS quippe cum Ori-
 entali Ecclesia Christi Natalem ad VIII. Idus Januarii refert.
 Pariter EPIPHANIUS *Hæres. LI. Alogon. Lib. II. p. 444.*
 Χερεῖν γεννηθῆναι ἐν Βηθλέμ - - ἐν τετρακοσῷ δωτέρῳ ἔτει τῆς
 πάσης βασιλείας Αὐγύστου, - - ταῦτα ἢ ἐπαρχματιῶν ἐν ὑπαταίᾳ
 Οὐκταῖν Αὐγύστου τεσσακδέκατον, καὶ Σιλανῷ ὑπάτῳ. *Christo nato*
Bethlehemi, - - anno totius imperii Augusti XLII. Acta
hæc sunt Octavio Augusto XIII. & Silano Coss. & ORO-
sius Historiar. Libr. VI. cap. 20. Anno ab Urbe condita
DCCLII. Caesar Augustus - - cunctis gentibus una pace com-
positis, Jani portæ tertio ipse clausit. - - Eo tempore, id est,
eo anno, quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione
Dei Caesar composuit, natus est Christus; cujus adventus pax
istâ famulata est. & IDACIUS in Fastis Consularibus in

LABBEI *Biblioth. Mscr. Tom. I. p. 7. sq. Octaviano XIII. & Silano. His Coss. natus est Christus.* Huic eidem etiam computo apte convenit ætas Christi annorum XXX. cum sacerdotale munus suum A. U. C. 782. post susceptum a Joanne baptismum ingrederetur; quæ eadem illa ætas erat, divina lege Judæorum sacerdotibus, toto suo ministerio Christum præfigurantibus, sacro munere functuris præscripta *Numer. IV. 2. 3.* cum contra, si calculum JOSEPHI sequeris, mortem Herodis M. Judææ Regis, (quo vivo natus est haud dubie Christus ex *Matth. cap. II*) in A. U. C. 750. conjicientis, *Antiquit. Lib. XVII. cap. 8.* vel cum JOSEPHO conspirantem dubiæ adhuc fidei Herodis Antipæ nummum *b)*, non facile Christus ante XXXII. ætatis annos exactos muneris Sacri initia potuerit facere. Accedit, quod OROSIVS, prolato ante testimonio, haud dubie ex deperditis veterum monumentis refert, clausum esse eodem Anno U. C. 752. tertia vice a Cæsare Augusto Jani templum, & otia pacis Divina providentia omni terrarum orbi donata; quæ non conveniunt tantum imagini felicissimorum temporum, Servatoris Nativitate omni generi humano paratorum; sed inprimis etiam opportunitati agendi census, quo vires & facultates terrarum orbis describerentur; quem quidem ipsis illis temporibus, cum Christus nasceretur, Cæsaris Augusti jussu fuisse actum *LUCAS Cap. II. Evangelii sui* scribit; nec contrarius hic est nummus Augusti ejus fere temporis, apud MEDITOBARUM in *Imperatorum Romanorum Numismatibus p. 39* quo Parthica Tiara, arcus & sagittæ expressæ sunt, inscriptus una parte, *Augustus Pont. Max. Tr. P. XXII. Cos. XIII. Imp. XIV.* & ex altera, *de Partheis*, velut eo jam anno

b) Exhibet eum HENRICUS NORISIUS in præfat. Libri de *Epochis Synop. Macedonum*, & peculiari *Dissertatione de Nummo Herodis Antipæ.*

anno bellum cum Parthis de Armenia fuerit exortum, cui gerendo Cajum Cæsarem, Augusti nepotem, ab Avo suo fuisset præpositum, VELLEJUS PATERCULUS *Histor. Libr. II. c. 101.* & DIO CASSIUS *Libr. LV. p. 636.* tradunt. Etenim Tribunitia Potestas perpetua, qua Augustus, & omnes abhinc Cæsares imperii sui annos sueverunt signare, teste DIONE CASSIO *Libr. LIII. p. 582.* ab ipso Augusto suscepta est A. U. C. 731. ipso XI. & Calpurnio Pisonæ *Coff. V. Kal. Julii*, postquam hujus Anni Consulatu se abdicaverat. Annum indicat DIO *Libr. LIII. p. 592. sq.*

Ο δὲ Αὐγύστης ἐν δέκατον κ' Καλαυερῶν Πείσαν ἀρχὸς ἠρῶνθισεν αὐθις, ὡς ἐ μνηστῆριαν ἐπιστάδα σωπείας ἔχων, - - τότε δὲ σωθεὶς - - ἀπαύσει τὴν ὑπαλείαν εἰς Ἀλκανὸν ἐλθὼν - - καὶ ἔξω τῆ ἀστῆ αὐτὸ ἐποιήσεν, ἵνα μὴ κωλυθῆ, καὶ ἐπὶ τε τῶτο ἔπαυον ἔχε, καὶ ὅτι Λύκιον ἀνθ' ἑαυτῶ Σήσιον ἀνέθελε, - - καὶ διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δῆμαρχὸν τε αὐτὸν εἰς βίης εἶναι ἐψηφίσαστο - - ἀφ' ἧ δὴ καὶ ἐκείνῃ καὶ οἱ μετ' αὐτὸν αὐτοκράτορες ἐν νόμῳ δὴ τινι τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῇ ἔξουσία τῇ δημαρχικῇ ἐχρησάτο. Augustus XI. Consul cum Calpurnio Pisonæ, adeo gravi rursus morbo decubuit, ut nulla salutis spes adesset, - - valetudine recuperata in Albanum montem venit, & Consulatu se abdicavit, - - id quod extra urbem ideo fecit, ne prohiberetur. - - Laudatum est hoc ejus factum, & quia Lucium Sestium in locum suum subrogavit. - - Eapropter Senatus ei decrevit, ut Tribunus plebis perpetuus esset. Inde exortum est, ut & ipse & qui eum secuti sunt Imperatores, lege quadam & reliquis, & TRIBUNITIA POTESTATE uterentur, Mensẽm vero tum abdicati Consulatus, & diẽm Tribunitiæ Potestatis susceptæ memorat partim Vetus Inscriptio apud GRUTERUM in Corpore Inscript. pag. 234. N. 1. qua Cæsar Pisonæ Cof. mense Junio valetudinem recuperasse, in monte Albano fuisset, & Consulatu se abdicasse dicitur;

- . EID. JUN
- .. CÆSAR. VALETUD
- .. N. PISONE. COS
- .. JUL
- AR. IN. MONTE. FUIT
- AR. COS. ABDICAVIT

partim VELLEJUS PATERCULUS *Lib. II. Histor. Cap. 103.* qui V. Kal. Julii A. U. C. 754. Romæ solennis festi diem fuisse dicit; quo Tiberius ab Augusto, haud dubie novum iterum, & XXIV. Tribunitiæ potestatis annum ordiente, in Tribunitiæ Potestatis consortium assumtus, & adoptatus fuerit: hinc Tribunitiæ Potestatis Augusti annus XXII. d. 27. Junii A. U. C. 752. cœperat, & eodem die A. U. C. 753. terminabatur; & expressæ in nummo imagines commode vel bellum Nato jam Christo circa finem demum A. U. 752, vel 753. exordio natum, vel belli gerendi omina tantum possunt indicare.

Cæterum, si ex Lucæ testimonio & multorum veterum non Scriptorum tantum, sed & rerum conspiratione Christi Nati annus probabilis, ipsius Nativitatis tamen dies incertus est; non tantum deficientibus hic ex primæva Christianorum ætate testimoniis, sed variis etiam in ea re diversisque illorum, qui proxime secuti sunt, sententiis. CLEMENS ALEXANDRINUS *Stromat. Lib. I. p. 340.* ipse diem Christi Natalem, quem decernere nolle videtur, revera tamen ad 18. Novembr. figit, dum a Christo Nato usque ad Imperatoris Commodi mortem annos CXCIV. mensem unum, dies XIII. effluxisse dicit, quem A. V. C. 945. d. 31. Decembr. ipso *Commodo VII. & Pertinace Cass.* occisum esse XIPHILINUS in *vita Commodi p. 296.* HERODIANUS *Lib. I. c. 16. II. c. 2.* CAPITOLINUS in *vita Pertinacis cap. 4.* unanimi consensu tradunt. Alios, idem CLEMENS, nimis curiose ad 25. mensis Pachon, id est, 20. Maji, alios ad

ad 24. vel 25. mensis Pharmuthi, id est 19. vel 20. April.

c) fixisse refert: „ γίνονται ἂν, ἀφ' ἧς ὁ Κύριος ἐγεννήθη ἕως Κομμωθίου τέλει τῆς τῶν ἡμερῶν ἐτην ἑκατὸν δονηήκοις τίσσαρα, μὴν εἰς, ἡμέραι 19. - - εἰς δὲ, οἱ περισσότερον τῆ γενέσει τῶ σωτήρος ἡμῶν ἢ μόνον τὸ ἐστίν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες, ἢν Φασιν ἕως κη Αὐγύστου ἐν πέμπτῃ Πάχων καὶ εἰσὶ δὲ - - ἄλλοι δὲ Φαρμουθὶ 18. πεποιθέναι τὸν σωτήρα λέγουσιν' καὶ μὴν τινες αὐτῶν Φασιν Φαρμουθὶ γεννηθῆσαι κθ, ἢ 21. *Sunt autem, ex quo natus est Dominus usque ad mortem Commodi anni CXCIIV. mensis I. dies XIII. - - sunt vero, qui curiosus Natali Servatoris non solum annum, sed etiam diem addunt, quem dicunt XXVIII. anno Augusti, die 25. Pachon contigisse; alii autem Pharmuthi XIX. dicunt passum esse Servatorem: quin etiam dicunt ex his aliqui eum natum esse die 24. vel 25. Pharmuthi. Saeculo post Christum Natum quarto dein Orientalis Ecclesia diem illum sextum mensis Januarii, Occidentalis Ecclesia contra XXV. Decembris esse putavit; Festo Nativitatis Christi ab utraque Ecclesia diversis temporibus celebrato.*

Orientalis Ecclesiae morem testantur CASSIANUS *Collation. X. cap. 2. Intra Aegypti regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto Epiphaniarum die, quem provinciae illius sacerdotes vel dominici baptismi, vel secundum carnem Nativitatis designant, & idcirco utriusque Sacramenti sollemnitatem non bifarie, ut in occidentis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant, epistola Pontificis Alexandrini per universus dirigantur Aegypti Ecclesias. & EPIPHANIUS Haresi Alogon LI. Lib. II. T. I. p. 446. Πάχει ὁ Σωτὴρ ἐν τῇ πρὸ 19. Καλανθίων Ἀραιθίων - - γεννηθῆναι αὐτὸν ἐν τῶν Ἰαννουαίων μῆνι, τῶν δὲ πρὸ δεκά εἰδῶν Ἰαννουαίων, ἧτις ἐστὶ καὶ Ῥωμαίους πέμπτῃ (ἐκτῇ) τῶ Ἰαννουαίου μηνός. *Passus est Servator a. d. XIII. Kal. April. - - cum natus esset**

e) Calendarium exhibet JOSEPHUS SCALIGER in *Canon. Isag. Lib. I. p. 401. sq.*

esset *Januario mense, VIII. Idus Januarii, qui juxta Romanos est VI. mensis Januarii.* Occidentalis autem Ecclesiae sententiam indicant CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ *Lib. V. c. 12.* τὰς ἡμέρας τῆς ἑορτῆς φυλάσσετε ἀδελφοί, καὶ πρῶτην γε τὴν γινώσκοντες, ἥτις ὑμῶν ἐπιτελείσθω εἰσὶν πέμψθη τὸ ἐνάτη μῆνος. μετ' ἢ ἡ ἐπιφάνια ὑμῶν ἔστω τιμωτάτη, καθ' ἣν ὁ κύριος ἀνὰ δέξιν ὑμῶν τῆς δεξιᾶς ἐποίησατο, γινώσκοντες δὲ καὶ αὐτὴν ἑστῆ τῆ δεξιᾶς μῆνος. *Dies Festus agitate fratres, ac primum quidem diem Natalis, qui XXV. die mensis Noni celebretur.* Post hunc dies *Epiphaniae in maximo honore sit, in quo Dominus divinitatem suam nobis patefecit, is vero dies sit sextus mensis decimi; & FASTI CONSULARES Norisiani ad A. U. C. 754. Cæsare & Paulo Coss. Hoc Coss. Christus natus est VIII. Kal. Jan.* nisi hæc quoque, uti omnia fere, quæ præter Consules ibi leguntur, recentioris manu adscripta sunt; & *IDACIUS in Fastis Consularibus ad A. V. C. 752. Octaviano XIIII. & Silano. His Coss. natus est Christus die VIII. Kal. Jan.* ut ita, si qui sunt ex veteribus, qui Nativitatem Christi anno imperii Augusti XLI. id est A. V. C. 751. affigunt, quod faciunt *CLEMENS ALEXANDRINUS Stromat. Lib. 1. p. 340. IRENÆUS Lib. III. contra Hæres. cap. XXI. §. 3. TERTULLIANUS adversus Judæos cap. 8. CASSIODORUS in Chronico, si quidem Christi Natales ad finem ejus anni pro Occidentalis Ecclesiae consuetudine referunt; ab EUSEBII, HIERONYMI, EPIPHANII calculo, qui ad subsequens anni sextum diem Januarii eos figunt, haud aliter inter se, nisi dierum tantum XII, vel ex CLEMENTIS ALEXANDRINI computo, mensis unius, & dierum XIX. intervallo tantum dissentiant.*

§. II.

A veris Christi Natalibus vulgaris Christianorum æra discordat. Primus ejus auctor *DIONYSIUS EXIGUUS, Abbas*

Abbas Romanus, Sæculo post Christum Natum sexto Christum à Sancta Virgine conceptum esse statuit A. V. C. 753. cum Annum 248. Imperatoris Diocletiani, Christi carnem induentis Anno 532. affigit. Ipse siquidem Dionysius, ut computando Paschatis die ex Nicæni Concilii sententia regulam quandam præscriberet, cyclum quendam Paschalem composuit, annorum XCV, constantem quinque lunaribus, sive decennovenalibus circulis, quibus singulis quibusque annis celebrandi Paschatis dies definiretur, secutus in ea re CYRILLUM Alexandrinum, qui ante Dionysium parem XCV. jam annorum cyclum digesserat, initiumque ejus Anno Diocletiani 153, finem anno ejusdem Principis 247. adscriperat. Dionysius ergo, ubi Cyrilli definebat cyclus, suum exorsus est anno Diocletiani 248, sed sui cycli annos non Principis amplius Christiano sanguine maculatissimi, verum pulcriore exemplo Servatoris humani generis annis voluit signari, quod ipse profitetur *Epistola ad Petronium Episcopum* in Appendice Dionysii Petavii de doctrina temporum p. 498. seq. Quia vero Sanctus Cyrillus primum cyclum ab anno Diocletiani CLIII. cepit, & ultimum in CCXLVII. terminavit, nos à CCXLVIII. anno ejusdem Tyranni potius, quam Principis inchoantes, nolimus circulis nostris memoriam impii & persecutoris innectere; sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prænotare; quatenus exordium spei nostræ potius nobis existeret, & causa reparationis humana, id est, passio Redemptoris nostri evidentius eluceret. Istum Diocletiani 248. Annum Dionysius cum Anno Christi 532. composuit, teste BEDA Venerabili de ratione temporum cap. 45. Dionysius, ait Venerabilis Abbas Romanae urbis - - in primo suo circulo quingentesimum tricesimum secundum Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo, manifeste docuit secundum sui circuli annum ipsum esse, quo ejusdem Sacrosanctæ Incarnationis mysterium cœpit; & de sex ætatibus mundi, Dionysius Paschales scribit circulos, incipiens ab anno Domini

minica Incarnationis DXXXII. qui est annus Diocletiani CCXLIII. post Consulatum Lampadii & Orestis. Jam vero Diocletianus Imperio Romano admotus est post eadem Numeriani Imperatoris Carino II. & ipso Numeriano Coss. A. V. C. 1037. d. 17. Septembr. quod subscriptio legis isto anno latae ab eo testatur L. 1. Cod. Ut nemo inuitus. Imp. Dioclet. A. Camerio. Inuitus agere vel accusare nemo cogatur. Dat. Id. Octobris Carino II. & Numeriano Coss. & CHRONICON ALEXANDRINUM, Υπ. Καρίνου τὸ β' καὶ Νυμεριανῶν ῥωμαίων ἀγ' ἡβασίλευσεν Διοκλητιανὸς ἐτη κ' - - Διοκλητιανὸς ἀναγορευθεὶς πρὸς τὴν Καλανδῶν Ὀκτωβρίων ἐν Καλανδῶν, εὐσπῆδον εἰς Νικομηδείαν πρὸς τὴν Καλανδῶν Ὀκτωβρίων μετὰ τῆς προφουσίης καὶ Καλανδῶν Ἰανουαρίης προήλθεν ὕψατος. Carino II. & Numeriano Coss. - - Romanorum XXXIII. imperavit Diocletianus ann XX. Diocletianus renuntiatus Imperator ex a. d. XV. Kal. Octobr. Chalcedone, Nicomediam ex a. d. V. Kal. Octobr. cum purpurea chlamyde ingressus est, deinde Kalendis Januariis Consul processit. Annus ergo Diocletiani 247. quo Cyrilli Paschalis cyclus desinebat, ab A. V. C. 1283. d. 17. Septemb. usque ad eundem diem A. V. C. 1284. currebat; & cum singuli cycli anni semper Paschali plenilunio finirentur, Cyclus Cyrilli plenilunio Paschali A. V. C. 1284. erat terminatus. Ab hoc ergo termino Dionysius, cum cycli sui jam initium faceret, ipsumque hoc initium Anno Christi 532. adscriberet, si ab anno V. C. 1284. detrahis annos completos 532., illaberis in primum illum annum, quo Dionysius Christum in Virginis utero carne vestiri coepisse statuit, hoc est, A. V. C. 753; & hinc Dionysiana Christi Incarnati æra ab ea, ad quam veros Christi Natales referimus, unius anni computatione differt.

§. III.

Nova hæc ab Incarnatione Christi annos computandi ratio, à Dionysio Exiguo cœpta, post duo fere Sacula demum in Occidentis Imperiis in usum deduci cœpit, Auctore præcipuo Venerabili BEDA, qui non tantum modum

dum computandi annos Christianæ æræ ad mentem Dionysii in Canonibus suis Lunarium Decennovennialium circularum docuit *Opp. Tom. I. p. 373.* verum etiam eadem æra tam in describendis suis Decennovennialibus circularibus *Opp. Tom. I. p. 359. sq.* quam in Historia Ecclesiastica sua gentis Anglorum, annos signavit. Idem tamen, dum Dionysii computum exponere studet, & normam, quam tenere hic deberent omnes, præscribit, à mente Dionysii uno ipse iterum fere anno aberravit, omnemque dein Scriptorum catervam, quæ à temporibus istis in ista computandi methodo eum ducem semper secuta est, in eundem etiam secum errorem pertraxit. Scilicet Dionysius Exiguus primum Cycli sui annum ordiebatur ab eo die, qui ultimum Cycli Cyrilli annum terminabat; id est, à die XVII. April. hoc est, die plenilunii Paschalis, Anni 247. Diocletiani, sive A. V. C. 1284, Anni sicut ipse BEDA ait de *sex atat. mundi*, primi post Consulatum Lampadii & Orestis; eundemque Dionysius annum sequentis anni Paschali plenilunio, anno secundo post Lampadium & Orestem Coss. die V. Aprilis finiebat; hunc Annum autem dicebat Annum Christi incarnati 532. A die 6. Aprilis, id est, proximo post Paschale plenilunium, novum inde & secundum Cycli sui annum numerabat, eundemque terminabat Paschali plenilunio die 25. Martii anni subsequentis; hunc dicebat Christi incarnati Annum 533. & sic eadem ratione reliquos decennovennialis circuli annos computabat, ita quidem, ut singulos cycli sui annos non à Kalendis Januarii, sed à primo die post Paschale plenilunium ordiretur; & pariter non Decembri mense, sed Paschatis subsequentis anni plenilunio rursus finiret, excepto tantum ab hac regula primo anno cycli, quem non à proximo die post plenilunium, sed ab ipso die plenilunii ad alterum Paschale plenilunium computabat. Id profitetur DIONYSIUS *Epistola II. in Appendixe Petavii de Doctrina temporum p. 500.* "A decima quinta Luna (hoc est à XV. die post Novilunium) Paschalis

ſchelis feſti præcedentis uſque XIV. ſequentis, quod quarimus, ſi communis annus eſt, CCCLIV dies habebit. Si emboliſmus CCCLXXXIV. Quodſi dies unus plus minusve contigerit, evidens error eſt, excepto videlicet anno primo ſepediſſi decemnovennalis cycli, quem à XIV. Luna Paſchæ ultimi, id eſt noni decimi anni, uſque ad XIV. ejusdem primi numerare curamus: - - A. XV. Luna tranſacta feſtivitatis uſque in XIV. Paſchæ, quod quarimus, dies ſollicite computemus, & ſi communis annus eſt CCCLIV dies, ſi emboliſmus eſt, CCCLXXXIV. inveniemus - - Regula cycli hujus hac ratione ſubſiſtit, cujus emuleatam formulam ſubjecta deſcriptione pandemus.

Anno decemnovennali primo - - à decimo quinto Kalendas Maji, uſque Nonas Aprilis, quia communis annus eſt, ſunt dies CCCLIV. Anno decemnovennali ſecundo - - ab octavo Idus Aprilis uſque in octavum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, ſunt dies CCCLIV. Anno decemnovennali tertio - - à ſeptimo Kalendas Aprilis uſque in Idus Aprilis, quia emboliſmus eſt, ſunt dies CCCLXXXIV.

Jam vero BEDA, veluti oblitus eſſet, Dionyſium cycli ſui annos Paſchalibus pleniluniis ſemper finire, & hinc Annum Chriſti 532, quem iſte vocabat, die quinto demum menſis Aprilis Anni ſequentis, hoc eſt, ſi à Kalendis Januarii computes, Anni Chriſti 533. terminare; & ſubſequentem Paſchatis Dominicum diem, hoc eſt, undecimum Aprilis, ad novum jam referre annum, & decemnovennalis circuli ſui ſecundo, five Anno Chriſti 533. adſcribere; contra ea omnia in Decemnovennalibus circulis ſuis ad Dionyſii calculum, ut putabat, accommodatis, corrupta Dionyſii ſententia, & plenilunium Paſchale 5. April. & Dominicum diem Paſchatis XI. April. & hinc reliquos anni menſes etiam Anno Chriſti 532 adſcripſit, qui ſecundus in Faſtis annus eſt poſt Lampadii & Oreſtis Conſulatum; quem Dionyſius à ſexto die Aprilis dicebat eſſe Chriſti 533, Decemnovennalis circuli ſui ſecundum. Pariter cum Dionyſius Annum Chriſti 533. Paſchali

Paschali plenilunio die 25. Martii anni sequentis, hoc est, A. C. 534. finiret, & Dominicum Paschatis subsequenter diem, id est, 27. Martii, anno jam Christi 534. adscriberet, BEDA Pascha illud, quod juxta Dionysii computum Pascha erat Anni Christi 534, Anno Christi 533. affixit; & eadem ratione etiam reliquos circuloꝝ suorum annos signavit.

Ita quippe in *Decemovennalibus* Circulis T. I. Opp. p. 359.

<i>Anni Domini.</i>	<i>Luna Paschæ</i>	<i>Dominicus</i>
	<i>XIVta.</i>	<i>Dies Paschæ.</i>
532. . . .	<i>Nonæ Aprilis.</i>	3. <i>Iduum Aprilis.</i>
533. . . .	<i>VIII. Cal. Aprilis.</i>	6. <i>Calend. Aprilis.</i>
534. . . .	<i>Idus Aprilis.</i>	16. <i>Calend. Maji.</i>

Deceptus scilicet fuit ex eo, quod, cum Dionysius Annos Christi numeraret ab Incarnatione, id est, quo in Sacra Virginis utero primum conceptus est, quod juxta Occidentalis Ecclesiæ sententiam circa ipsum Paschale plenilunium contigit; ipse non satis intellecta Dionysii sententia eum per vocabulum Incarnationis, Christi Nativitatem designare credidit; quibus ambabus vocibus eandem à BEDA rem semper intelligi satis demonstrant verba ejus Libro de *Ratione temporum* collata cum *Canonibus Decemovennalium circuloꝝ*. De *Ratione temporum* cap. 45. Dionysius, ait, ipse nobis quodammodo tacite, quæ dicimus, in Paschalibus, quæ scripsit argumentis ostendit, ubi adveniendum, quotus sit annus circuli decemovennalis sumere annos Domini, & priusquam hos per X. & XIX. partiamur, unum præcipit adjicere, significans illo incarnato unum circuli decemovennalis annum jam fuisse completum; & in *Canonibus decemovennalium circuloꝝ* p. 373. Si vis scire, quotus sit annus circuli decemovennalis, sume annum Domini, & unum addens, quia secundo ejusdem anno natus est, partire per 10. & 9. & iterum: si nosse vis, quotus sit annus ab *Incarnatione Domini nostri Jesu Christi*, scito, quot fuerint ordines Indictionum, ut

puta quinto anno Tiberii Principis, 46. hos per 15. multiplicata, sunt 690. Adde regulares 12. quia quarta indictione secundum Dionysium Dominus natus est; & indictione anni cui volueris, ut puta in presenti una sunt 703. Isti sunt Anni Nativitatis Domini.

Ita necessario BEDÆ à Dionysii calculo novem mensium spatio erat recedendum; & cum Dionysius d. 25. Martii A. V. C. 753. Christi Incarnationis æram affigeret, Bedæ eadem Anno quidem V. C. 753. sed diei demum 25. Decembris erat adscribenda; quo ipso die, cum Angli, inter quos natus erat BEDA, annum ordiri alias suevissent, eo opportunius accidit BEDÆ, ab eodem quoque principio Dionysianam æram, & Christi incarnati annos computare: Sic ille de temporum ratione cap. XIII. *Antiqui Anglorum populi (neque enim mihi congruum videtur, aliarum gentium annalem observantiam dicere, & meæ reticere,) juxta cursum Lunæ suos menses computaverunt; -- Incipiebant autem annum ab octavo Calendarum Januariarum die, ubi nunc Natale Domini celebramus. Et ipsam noctem nunc nobis sacrosanctam, gentili vocabulo Mædrenech, id est, matrum noctem appellabant, ob causam, ut suspicamur, ceremoniarum quas in ea pervigiles agebant.* Ergo in definienda Christi æra DIONYSIUS & BEDA, Auctor illius æræ, & ejus interpres, inter se novem mensium intervallo discordant, sed ita tamen discordant, ut si rem recte inspicias, in termino tantum varient, à quo Christi æram ambo derivant; calculus vero eorum, verbo diversus, revera apud utrosque sit unus & idem. Carnis tantum Christi computando exordio, non ipsa Nativitatis æra dissentiant; suam Dionysius à Christo Incarnato, Beda à Nato demum incipiebat, quasi invertissent ambo sententiam, si Dionysius juxta Bedam Nati Christi, Beda juxta Dionysium Christi incarnati annos computasset, non aliter certe Dionysius quam Beda; Beda pariter, sicuti Dionysius numerasset.

§. IV.

Sic à BEDÆ tandem temporibus in Occidente Incarnati Christi æra in primis invaluit, non juxta Dionysium Exiguum à plenilunio Paschæ Anno V. C. 753. sed à die 25. Decembris demum ejusdem anni computata, Romæ jam ante duo Sæcula inventa, sed statim post ortum suum rursus obliterata, post tantum intervallum temporis reurxit in Angliâ; ex Angliâ per Bonifacium Anglum divini Evangelii primum

primum inter Germanos præconem, & æqualem temporibus Bedæ, ad
 Francos videtur fuisse deducta, & dein per Albinum Alcuinum, Bedæ
 doctrina imbutum, & Caroli Magni & Francorum Doctorem, magis
 adhuc propagata, & per monasteria passim, & Annalium Scriptores
 diffusa. Certe in Concilio Germania à Carolomanno Majore Domus,
 Caroli Martelli filio, A. C. 742. condendis Sacræ Disciplinae legibus,
 congregato, ubi Bonifacius Archiepiscopus primas partes tenuit, pri-
 mum Christi Incarnati æra in Canonum istius Synodi inscriptione com-
 paret apud SIRMONDUM Concil. Gallia Tom. I. p. 517. Ego Karlo-
 mannus, Dux & Princeps Francorum ANNO AB INCARNATIO-
 NE DOMINI DCCXLII. XI. videlicet Kalendas Maji cum consilio
 servorum Dei, & optimatum meorum, Episcopus, qui in Regno meo
 sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi
 congregavi; id est, BONIFACIUM Archiepiscopum, & Burebar-
 adum & Regensfridum, - - ac reliquos Episcopos cum Presbyte-
 ris eorum, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica
 Religio recuperetur; & post duos annos dein etiam in Suesfionensis Sy-
 nodi præfatione apud SIRMONDUM Concil. Gall. Tom. I. p. 517. Anno
 DCCXLIV, ab Incarnatione Christi sub die VI. Nonas Martii & Luna
 XIV. in anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux
 & Princeps Francorum - - una cum consensu Episcoporum, sive Sacer-
 dotum, sive servorum Dei consilio - - apud Suesfionis civitatem Syno-
 dum vel Concilium facere decrevimus, Alcuinum autem Bedæ doctrinam
 intulisse Gallia, eamque per Francorum omnes provincias magno Caro-
 li M. studio fuisse promotam testatur MONACHUS SANGALENSIS in
 Vita Caroli M. Lib. I. cap. 2. in DUCHESNII Scriptor. Rev. Francicar.
 Tom. II. p. 108. Audito autem Albinus de Natione Anglorum, quod
 gratanter sapiens Viros religiosissimos Regum Carolus susciperet, con-
 sensa navi venit ad eum. Qui erat in omni latitudine Scripturarum
 supra ceteros modernorum temporum exercitatus, utpote discipulus
 doctissimi Bedæ, peritissimi post Sanctum Gregorium tractatoris, - -
 cuius in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli sive Franci anti-
 quis Romanis vel Atheniensibus aquarentur. Et ANONEMUS de suc-
 cessione Ecclesiarum Saxoniae in LERNITII Scriptor. Rev. Brunsvicens.
 Tom. I. p. 261. Anno Domini DCCXCIII. Alkuinus instructor Ka-
 roli Magni Anglice genere, studium de Roma Parisios in Franciam
 transiit auctoritate Caroli; & illius fundatores erant quatuor mo-
 nacho, discipuli Venerabilis Bedæ, videlicet Rabanus,
 Alkuinus, Claudius & Ioannes Schottus; & RANULPHUS HIGDENUS
 in Polychronico in TH. GALE Scriptor. Rev. Anglicar. Tom. I. p. 252.
 ad A. 801. Hoc anno Alkuinus Anglus, qui & Alouinus scientia-
 rius, mare transit, Franciam adiit, quam sua doctrina illustra-
 vit, - - studium, quod à Grecis olim Roma translatum fuerat, Pari-
 sium advexit. Hic Vir omnium Anglorum, quos legerim, post Alde-
 luum & Bedam doctissimus apud Karolum Regem - - resedit, quem
 docuit

docuit *Dialecticam, Rhetoricam, Astronomicam*. Ab isto certe tempore primum in Francorum terris magna illa Annalium seges prodiit, *NAZARIANI, PETAVIANI, TILIANI, LOISELIANI, MOISSIACENSES, S. WANDREGISILI SIVE FONTANELLENSIS, BERTINIANI, METENSES, FULDENSES, VEDASTINI*, vulgo vocati, *MOMACHI EGOLISMENSIS, EGINHARDI, THEGANI, ANONYMI ASTRONOMI, NITHARDI, REGINONIS, a PITHORO, FREHERO, DUCHESNIO, BOUQUETO, PISTORIO* in lucem producti, quorum conditores vel Caroli M. ayo, vel paulo post tempora ista scribentes omnes jam aera Incarnationis Christi à die Nativitatis computata utuntur, cui rei inter plura alia testimonio esse potest Proclamatio Imperatoris Caroli M. Romæ ipsi Christi Natalibus facta, & ab omnibus fere Scriptoribus, qui rem eam tradunt, ad Anni Christi 801. principium relata, præeuntibus hic *LOISELIANIS Annalibus in DUCHESNII Script. Rer. Francic. Tom II. p. 41.* ubi ad finem A. C. 800. Rex - - celebravit Natalem Domini Romæ. Et immutatus est numerus annorum in 801. A. C. DCCCL. Ipsa die sacratissima Natalis Domini cum Rex ad missam ante Confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Pater a coronam capiti ejus imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatus est, Karolo Augusto à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum, Vita & Victoria! & si qui subsequenter etiam sæculis, condendis gentium Annalibus erant illustres, ducebant sibi gloriæ nobilissima Bedæ vestigia sequi, Bedæ annales suis connectere; Venerabilis Viri nomen ipsi operis sui capiti præfigere; & sic computum Bedæ à Majoribus jam acceptum, & sibi posteris traditum, suo quoque studio rursus ad posterorum ætates, & futurorum temporum memoriam propagare. Sic HERMANNUS CONTRACTUS Chronica sua ab Orbis principio usque ad sua tempora, id est A. C. 1065. deducta, ad Bedæ exemplum in sex mundi ætates distribuit, omnemque temporum seriem usque ad Annum Christi 726. ex Beda proficetur hausisse; adjectis dein suo studio reliquis. Hucusque, ait ad A. C. 726. Beda Venerabilis Presbyter, Chronicon suam in Majori de temporibus Libro perduxit. Sic LAMBERTUS SCHARNBURGENSIS in Chronico de Rebus gestis Germanorum ad A. C. 1077. perducto; ipse quoque ab Orbis principio per sex mundi ætates ingressus, Bedam fatetur sequi, 702 Anno Dominice Incarnationis: Hucusque Beda. Sic MARIANUS SCOTUS in Chronico Duce Beda per sex iterum mundi ætates producto usque in Annum Christi 1083. ad A. 741. inquit: Hucusque Beda Presbyter, ultimus Chronographorum, Cassiodori aliorumque temporibus prætermissa conscripsit. Hinc nullus Chronographus adnotatur usque ad tempora Mariani Scoti, nisi quod Eginhardus Cancellarius Magni Caroli Imperatoris, atque alii gesta temporum conscripserunt.



Mb. 538. 8

ULB Halle
006 697 011

3





TA → OL

MD 18

M. C.







1

B. C. D.

ÆRA CHRISTIANORUM
VULGARIS
BREVI COMMENTATIONE
EXPOSITA.

QUAM
PRÆSIDE
JOHANNÉ MICHAËLE
LORENZIO

ELOQUENT. ET POËSEOS PROF. P. ORD. HIST. EXTRAORD.
CAPITULI THOMANI CANONICO

AD D. XXV. SEPTEMBR. MDCCLXVI.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMIN
SUBJICIT

AUCTOR
JOHANNES CHRISTIANUS OERTEL
ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis-Typographi.